

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Eidem.

Venerande domine Præposite, & amice charissime: Spero ingenium magistri Ioannis Birnstil utiliter seruiturum esse Ecclesie Dei. Ideo cum duci Megalburgensi commendavi: ac Deum oro, ut ministerium eius gubernet. De tempore autem professionis magistri Ioannis, quid scribat Dux, intelligetis ex ipsius Ducis literis: quas unâ cum meis, ut exhiberi ei curetis, uos etiam atq; etiam oro. Nam ad uos ideo misi, quod nesciebam ubi ipse magister Ioannes Birnstil in urbe uestra querendus esset. Nec quæquam in ciuitate uestra chariorem habeo, quam uos: & uicissim me à uobis diligi existimo.

Quæso igitur, ut hoc negotiū, quod quidem ad Ecclesiam pertinet, curetis, & mihi rescribatis. Si iam iter ingressus est magister Ioānes, uxori literæ Ducis tamen legendæ erunt, ac deinde ad ipsum mittendæ. Quæso etiam ut mihi significetis, an Sabinius exhibuerit illustrissimo principi Friderico & uobis meos libellos. Pro uestro munere uobis ago gratias. Principi Friderico et uestris filijs mitto pagellas de Ecclipsi. Bene ualete, die 3 Nouembris.

Eidem.

Reuerende uir, & charissime frater: Scio te hominem officiosum libenter amicis gratificari. Ideo ad te mitto literas Sabino inscriptas, & libellū: & te

te oro, ut ad Sabinum per nunciū fidelem fortè oblatum, sine tuo sumptu mittas. Hæc scripsi in urbe Brandeburga, quò filias Sabini ad uisendā auiam adduxi. Spero autem uos accepisse exempla nostri libelli: in quo si cætera non placuerunt, spero tamen placuisse Latinam adhortationem de cõcordia. Quanquam & de cæteris iudicia uestra cognoscere cupio. Et admonitiones uestras libenter audio. Utinam in Ecclesia amanter alij alios moneant, sicut scriptum est: Docete & emendate uos mutuò. Bene uale. Die septimo Decembris, in arce Brenni.

#### Eidem.

Reuerende uir, & amice charissime, Illustrissimo principi Electori Marchioni respõsionē meam mitto de controuersia Stancari: & oro, ut uos ipsi exhibeatis illustrissimo Principi, uel exhiberi curetis per magnificum dominum Cancellarium, aut ornatissimum uirum dominum Thomam. Orabitis etiam, ut mihi uenia detur, quòd tardius mitto. Legerunt alij, & comprobarūt, sed subscriptiones nõ petiui: quia nolui alijs attrahere certamina cū Stancaro, homine ualde maledico. Scripsit de me epistolas plenas arrogatiæ & crudelitatis, cum nunquam à me lesus sit. Sed mei labores Deo & multis bonis uiris noti sunt. Non moui dissidia: sed cum esset magna opinionum confusio, quasiui explanationes ne